

- 1367 hæc in Contarenum ipsum non cadebant, qui sapientia singulari fuisse traditur. Verum si (quod suspicor) id fecit, ut molestias & majores curas, quæ in eo fastigio dignitatis sentiuntur, effugeret, parum (meo judicio) civiliter egit, ac nescio an plus peccarit, quam si Rempublicam temere adiisset: in eo enim stultitia accusanda, in hoc vero malitia. Sed quo consilio id factum sit parum compertum habeo. Constat, eo Principe Rempublicam externis bellis vehementer jactatam, & in urbe magnopere annona laboratum. Summa dignitate recepta, haud quidem multo post Tergestinorum defectio secuta est. Habebant Veneti triremem unam in Histria ad vectigalium custodiam instructam: Tergestini, qui jampridem res novas occulte moliebantur, facto repente in Venetos, qui eo forte appulerant, impetu, turmæ navalis præfectum, de industria injecto certamine, obtruncant, nonnullisque graviter vulneratis, totam turmam confecerunt, nisi soluta repente navi, ex ipso portu in altum abiissent. Nec præsentī ignominia contenti, Veneta signa festo die in publicum (ut affolet) prolata, ex edito adimū demissa distrahunt, lacerant, probrosisque verbis solo affligunt. Patres ab initio non ignari, quorsum novi Tergestinorum motus tenderent, haud multum cunctandum rati, tantisper dum res a Tergestinis repetuntur, copias celeriter contrahunt, inde terra marique rebellem populum subito obsidione cingunt. Terrestris exercitus imperium Dominico Michaeli datum: classis Cressio Molino. Media bruma erat; at quia dubium fuit, ne, Venetis cessantibus, externis opibus suas interim hostis firmaret, omnia ad bellum celerrime expedita. Sub primum appulsum urbs oppugnatione tentata est: Tergestini Carnorum auxiliis adjuti, strenue oppidum defendunt: mox eruptione facta, circa mœnia tumultuario prælio Venetos fatigant. Dimicatum itaque sapius, varioque eventu. Sed quum majore conatu opus esse videretur, missi milites in supplementum, missi & novi ex urbe Legati: Paulus Lauretanus Dominico Michaeli successit, Cressio Molino Thadæus

1368
Tergestino-
rum defe-
ctio.